



vit quasi comunem aliquem Zodiacum. Complectitur autem Zodiacus ille cometicus Antinoum, Pegasum, Andromedam, Taurum, Orionem, Procyonem, sive canem minorem, Hydram, Centaurum, Scorpionem, & arcum Sagittarij, quæ omnes constellationes hisce comprehenduntur versiculis.

Antinous, Pegasusq; Andromeda, Taurus, Orion, Procyon, atq; Hydrus, Centaurus, Scorpius, arcus.

§. X.

Orbita vero, quam describunt Cometæ, non est circularis, sed elliptica, id est, non est perfecte rotunda, sed oblonga, & quasi ovalis, quæ tempore adparitionis in parabolam degenerat. In hac orbita stellæ crinitæ ascendant supra Saturnum ad stellæ fixas usque, & descendunt infra Solem, qui eorundem centrum non est, sed alter tantummodo focus. Moventur itaque Cometæ circa Solem in orbitis ellipticis valde excentricis, ac parabolicis; trajectoriam quippe, sive viam, qua incedunt Cometæ, esse ellipticam, ac parabolicam, nullatenus autem circularem, aut rectilineam, edocet observatio, & ipse cum observatione calculi consensus. Omnium enim primus observavit, ac detexit Keplerus, trajectoriam cometarum perfecte rotundam non esse, sed oblongam, ac ellipticam. Dein Doerfellius vir rerum astronomicarum peritissimus, quum anno 1680. ingens ille Cometa exoriretur, loca Cometæ ex observationibus deprompta in orbita parabolica representavit, quod idem præstitit Whistonus in suo Cometarum systemate. Deniq; quo modo in orbita elliptica, laudatus Keplerus, qua vero ratione in orbita simul parabolica Cometarum loca per calculum erui possint, Newtonus, & Hallejus explanarunt.

§. XI.